



A. II. 10 Q

24

D. SALOMO CONSTANTINVS TITIVS,

ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD. ETC.

P. T.

FACVLTATIS MEDICAE VITEBERGENSIS

D E C A N V S

A C T V M I N A V G V R A L E M

D. 4. APRILIS 1799

H A B E N D V M

I N D I C I T

D E V I T I I S R E N V M

C O M M E N T . V .

*Ren vterque diuersimode morbosus.*

D. SVPOIO CONSELV. MUSICO

ET CANTO. TUTTO IN UNO LIBRO.

TEGOLATI. MEDICINA.

DE AYNA

DE AYNA. MEDICINA.

DE AYNA.



— · · · —

**N**aturam corpora animalium haud temere duplice rene instruxisse, in prima, de hoc argomento commentatione, iam monuimus. Quo feliciter vero eadem finem hunc sibi propositum aequeretur, miro quodam vinculo utrumque viscus, praecipue quoad eiusdem functiones, coniunxit. Frequentiores morbi renales, quorum exemplum in continuata hac de vitiis rerum prolusione, propositurus sum, id ipsum abunde confirmant. Observationem hanc ex corpore vetulae, nuperime in theatro nostro anatomico, dissecto, repetii. Haec mulier, potui spirituoso quam maximis dedita, ex scala altiore fortiter delapsa, paullo post animam inebrata exspirauit. Renes magnitudine, substantia, consistentia, colore, aliisque qualitatibus, ita variabant, ut accuratior corundem descriptio, ad morborum renalium illustrationem, mihi haud inepta videatur.

Ren dexter, quem primo loco describamus, facco vel tunica adiposa, crassa, firma, adipe referta, cingebatur, qua sollicite remota, ipse evolutus, tunica sua propria, tenui, obiectus, prodiit, et longe maior sinistro, vncias septem valuit. Externe durities praeternaturalis, vasa sanguifera ampliora, vreter vere clausus, praecipue notanda erant, nulla coloris immitatio. Eiusdem margine externo perpendiculariter versus centrum dissecto, flatus morbosus illico observerabatur. Papillae enim vrinariae, atque praecipue columnae et pyramides, materia quadam peregrina, albescente, puri concreto simili, oppletae et penitus obstructae erant. Qui ipsi infarctus, in columnis versus centrum renis vergentibus, maiores, crassioresque erant, minores contra in extremis. Massa haec fistomatosa papillas renales fere impleuerat, et consuetus ille rerum dissectorum odor vrinosus plane de-

siderabatur. Vasa sanguifera accuratius examinata, iusto erant ampliora, in primis venarum renalium ambitus, praeter naturae ordinem, multo maior. Vreter porro filum referebat tenue, membranorum, tela cellulosa inuolutum, siu naturali ad vesicam vergens, maxima ex parte imperium. Nulla enim ratione ex pelvi renum in hunc ductum, vel subtilissimo filo, altius penetrare licuit. In inicio quidem vreter paullo crassior, filum admisit, in ulteriori vero tractu ita tenuis evasit, ut de vero canali merito dubitassem. Nec in medio aperitus, vreter ullum canalis veri obtulit vestigium.

Alterum contra renale viscus, sinistri nempe lateris, mirum quantum a dextro diuersum, ut exiguitate, ita flacciditate insigne fuit. Sacco adhuc inclusus ren, parvus apparuit, atque ab hoc inuolucro separatus, vncias tres cum dimidia peperit. Facies externa cinerea, grisea, flaccida, fungiformis, in cuius superficie plures foueolae subrotundae, praeter ordinem dissipatae, patebant; qui habitus hunc vetulac renem, reni infantili, variis interstitiis atque sulcis insignito, admodum similem reddidit. Ex pluribus globulis minoribus coacer- vatis compositus videbatur, quibus singulis foueolae, in fungi modum, erant impressae. Hinc maior quoque flaciditas, atque exigua substantiae cohaesio, qua fortiori compressioni mox cederet, et pul- pae instar se premi pateretur. Eandem quoque attentionem mereban- tur ea, quae in hoc rene, eadem, quam iam notauimus, ratione, aperto, in conspectum prodierunt. Color superficie internae lucide ruber, vasorum minorum tractus, eorumque propagines per substantiam renalem distributae, egregie conspiciebantur, et penicilli in modum versus exteriora vergebant. Aequae conspicui erant tubuli vrinarii, quorum in pyramides versus centrum renum concursus, optime no- tandus fuit. Pelvis renum apera, cum ductibus vriniferis solito am- plior, odorem vrinosum sparsit.

Contraria ergo ratione vterque ren huius mulieris, morbose fuit affectus. Dexter quidem, maior, durus, obstruens, ex parte steatomatosus, vreter concretus; sinister, minor, flacidus, fere resolutus, destruetus. Duplex vero hoc renum vitium, in uno eodemque subiecto combinatum, rarius occurrit, licet singuli exempla frequentiora sint. In scriptis enim anatomico - pathologicis saepe renum maiorum, minorum, obstructorum, resolutorum, duriorum, molliorum, consignatas legimus obseruationes, e quibus LIEUTAUDIVM solummodo excitemus (in historia anatomico - medica lib. I. sect. 9. Vol. I. pag. 313 sq. edit. Gothan.) In casu porro a nobis proposito, vreteris dextri coalitio in primis attentionem meretur. Varias vreterum obstructorum caussas enarrant obseruatores, quarum frequentissimam efficiunt calculi, in hoc ductu excretorio haerentes. (LIEUTAUD loc. cit. obs. 1220 sq.) Interdum alia corpora peregrina hosce ductus obstruunt, vt grumus sanguinis, (obs. 1235) pituita tenax aut mucus (obs. 1229); error quoque primae conformatiois his caassis annundandus est (obs. 1067). In nostra vetula tabescentia, collapsus, et ipsa concretio vreteris magis, quam mechanica obstructio, locum habuit. Quaenam caussa in hoc rene vitioso prior egerit, num obstructio papillularum renalium vreteris coalitioni, an haec statui viarum renalium steatomatoso, ansam praebuerit, omnino latet. Vtraque opinio suis innititur argumentis. Secretione autem per alterum renem impedita, alter per copiosorem urinae praeparationem male fuit affectus, vt eiusdem flacciditatem haud incongrue a nimio secernendi officio deducas. Renes eiusmodi flaccidos, frequenter in aegrotis nimio lotii fluxu laborantibus, vt in diabeticis, medici obseruarunt. Potui spirituoso, cui mulier per longam annorum seriem dedita fuit, vt et ebria obiret, merito inter caussas occasioales locum assignamus. Ex hoc quoque fonte genesis duorum calculorum biliariorum maiorum, qui omnem vesicam felleam prorsus explebant, omnio repetenda est.

Ne vero praesentis, quod mihi incumbit, officii rationem vi-  
dear habere nullam, Lectoris Benevoli lauori commendandus, meri-  
tisque laudibus ornandus est

## V I R

PRAENOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS  
**CHRISTIANVS BENIAMIN ESTRICH,**

VITEBERGENSIS,  
MEDIC. CANDID. DIGNISSIMVS,

qui exemplo ciuium excitatus, artis medicae studium sibi elegit, at-  
que per chirurgiam, viam sibi ad ipsam medicinam pandens, sic pre-  
paratus scholas academicas adiit. In omni vita academica, et morum  
probitate, et assiduo doctrinarum medicarum, praecepit anatomiæ,  
cui deditissimus fuit, cultu, omnium sibi conciliauit amorem. Dignis  
ergo laborum suorum praemiis condecoratus, e scholis nostris dimis-  
tendus est. Exposuit nobis de vita sua huc usque peracta, sequen-  
tem in modum:

**E**go, CHRISTIANVS BENIAMIN ESTRICH, Vitebergae in circulo Saxo-  
niae electoralii natus sum die 12. mens. Augusti anni 1775. Patris ante-  
vius anni spatium defuncti, CHRISTIANI SAMVELIS ESTRICH, opificis  
gladiarii, immaturam mortem iustis adhuc ligeo lacrymis, et de matris  
IOANNAE CHRISTIANAE, e gente LAVBERIANA, sanitate, admodum  
gaudeo. Religionis christianaæ fundamenta, et litterarum, quae ab huma-  
nitate nominantur, rudimenta posui, in Lyceo vrbis patriæ, Praeceptorum  
Clarissimorum Meritissimorumque cura, uniuersitatem, b. RICHTERI, OTTO-  
NIS, nunc verbi diuini Ministri, b. KOEHLERI, VOETSCHII, Canto-  
vis; Excell. HENRICI, tunc Correctoris, nunc Eloquentiae Professoris Cele-  
berrimi, et b. MESSERSCHMIDII, Rectoris; quibus omnibus ac singulis



maximas publicasque hic ago gratias. b. HILLERVS, quondam Eloquent. Prof. per exercitationes, in Seminario, ut vocant, institutas, strenue, ut solebat, ingenium memoriamque, per biennium excoluit. Sic praeparatus inde ab anno 1789. tricennium in tirocinio chirurgico hic loci, apud Vivum artis suae gumarum, NDETHE, Chirurgum praefectureae Vitebergensis, sustinui. Anno 1793 Dresden me contuli, anatomen atque chirurgiam practicam accuratius excolendi consilio. Institutione usus sum Virorum Experiensissimorum, qui in variis chirurgiae et theoreticae et practicae partibus duces, mihi exstiterunt, nimirum HAEHNELIE, Anat. et Physiol. Prof., in anatome et physiologia, DEMIANI, Clinices et Pathol. Profess. in clinica et pathologia, TITIE, Mater. med. et Therapiae general. Profess., in materia medica, WILDIT, tunc Protochirurgi exercituum Saxoniae electoratis, nunc Chirurgi Electoris electi, in chirurgia manuali, HEDENT, tunc Theatri anatom. Prosectoris, nunc Protochirurgi exercitus Saxonicus, in chirurgia et anatomia. Biennio peracto in patriam redii, atque, cum cupiditate magna medicinam perdiscendi flagarem a. 1795. in numerum ciuium academicorum, me suscepit tunc temporis Rector Acad. Magnis. BOEHMERVS, cuius scholas clinicas et disputatorias inde ab a. 1796. maximo cum fructu, quod non satis laudare possum, frequentavi. Physiologiam, chemiam, pharmaciam experimentalem, botanicen, medicinam forensem, ac doctrinam de visceribus, praecipue de ipsorum situ et fabrica, in theatro anatomico, mihi proposuit Exper. TITIVS, Anat. et Botan. Prof. Ord. cuius exercitationibus quoque disputatoriis per biennium operam dedi. Regulas clinico practicas, pathologiam et chirurgiam theoreticam, mihi exposuit Exp. KREYSIG, Pathol. et Chirurg. Prof. Ord. Vicar. Uniuersum cursum anatomicum mihi tradidit Exper. VOGT, Prosector. in theatro anatomico, pro-

pter multa de me merita, mihi carissimus. Quibus omnibus Praeceptoribus ac Fautoribus maximas iterum iterumque ago gratias. Anno 1798 de-  
novo me Dresden contuli, ut artem obstetriciam duce Cl. WEISSIO, artis  
suae magistro dexterrimo, perdiscerem; cuius artis exercendae occasionem  
frugiferam mihi exhibuit Cl. LORENZ, Praefecturae Dresdanae Chirurgus  
et obstetricans publicus, cui propter multa humanitatis officia artisque  
praecepta, maximas ago gratias. In theatro denique anatomico, corpora  
dissecui praeante LEHMANNO, Theatr. anat. Prosect. meritissimo, et viro  
inter Chirurgos examinatos primarios dignissimo, quibus quoque gratissimam  
hic offero mentem.

In examine porro ita se geslit, vt vnanimi suffragio veniam  
cathedram condescendi, et post praesitam dissertationis: *De partu ob-  
faciem ad orificium uteri conuersam praeternaturali, proprio marte elabo-  
ratae, sub Praesidio Exp. D. GEORGII RUDOLPHI BOEHMERI, Therap.  
Prof. Ord. et Academiae Senioris, Collegae Coniunctissimi, defensio-  
nem publicam, ad honores in medicina summos adspirandi, Ipsi ex  
merito concederemus. Qui actus inauguralis cum proximo die Iovis  
die 4. Aprilis, instet, Vestrarum, RECTOR ACADEMIAE  
MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, GRAVISSIMI VTRIVS-  
QUE REIPUBLICAE PROCERES, GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI  
ACADEMIAE Nostratis CIVES, nobis exoptatam atque honorificam  
praesentiam, summa humanitate exoro. Pro qua benevolentia et  
Gratiosi Ordinis Nostri, et Candidati studia, atque humanitatis officia  
quaeuis, constabunt promptissima.*

Vitebergae, Dom. Quasimodogeniti 1799.

PICA KB 18



D. SALOMO CONSTANTINVS TITIVS,

ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD. ETC.

P. T.

FACVLTATIS MEDICAE VITEBERGENSIS

D E C A N V S

A C T V M I N A

D. 4. APR

H A B E

I N D

D E V I T I I

C O M M E

R e n v t e r q u e d i u e

